



Dass

NOT

+

43 46
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
INSPIRATIONIS SCRIPTVRARVM
DIVINARVM IVDICIO
FORMANDO

Q V A M
PRAESIDE VENERANDO
GVILIELMO ABRAHAMO
TELLERO

SANCTAE THEOLOGIAE DOCTORE, VENERANDI ORDINIS
THEOLOGORVM H. T. DECANO ETC.

IN IVLEO MAIORI


A. D. XXIIIX. APRIL. MDCCLXIV.

DEFENDET AVCTOR

CHRISTOPH. AVGVST. HENR. GRVNER

GVELPHERBYTANVS

S. TH. CAND. ET SEMINARIJ THEOLOGICI HACTENVS
SVBSENIOR,



HELMSTADI

TYPIS IOANNIS DRIMBORNII

DEPARTMENT OF THEOLOGICAL

THEOLOGICAL SEMINARY
DIVINITY STUDIES
FORMAL DOSS

1874

THESE DE THEOLOGIE
GUILLELMO BRANNO
TELLERO

PAR M. LE DOCTEUR JOHANNES
LEOPOLD VON HUBNER

PARIS 1874

A. D. XXXIX APRIL MDCCCLXXIV

DETERMINATION

CHRISTOPH AUGUST HERR GRANT

LE GÉNÉRAL DE LA BIBLIOTHÈQUE
ET DES ARCHIVES DE LA FACULTÉ
DE THÉOLOGIE

HERMANN

LE DIRECTEUR DES BIBLIOTHÈQUES



REVERENDISSIMO
ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
HENRICO BERNARDO
DE SCHLIESTEDT
DYNASTAE IN SCHLIESTEDT, KVBLINGEN
ET HAVS NEINDORF,
SERENISSIMI DVCIS BRVNOVICENSIS ET LVNEBVGENSIS
ADMINISTRO STATVS, ET CONSILIARIO INTIMO,
CAPITVLI S. CYRIACI BRVNSVICI DECANO, ORDINIS
REGII DANICI DANEBROGICI EQVITI

RELL. RELL.



ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CHRISTOPHORO
DE HEIMBURG

SERENISSIMI DVCIS BRVNOVICENSIS ET LVNEBURGENSIS
PRAEFECTVRARVM EPHORO, SPLENDIDISSIMI
SENATVS, QVI RES AD MONASTERIA PER
DVCATVM GVELPHERBYTANVM PERTINENTES,
CVRAT, PRAESIDI GRAVISSIMO

RELL. RELL.



CHRISTOPH
HUBER
DE
HAMBURG
1711
CHRISTOPH HUBER
DE HAMBURG
1711
CHRISTOPH HUBER
DE HAMBURG
1711



ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
FRIEDERICO AVGVSTO
DE VELTHEIM

DYNASTAE IN HARBKE, ADERSTEDT,
GROPPENDORF, WEISSAND ET DING
ELBE,

SERENISSIMI DVCIS BRVNOVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS
SVPREMAE AVLAE IVDICIARIAE IVDICI, DVCATVS
BRVNSVICO-WOLFENBVTTELENSIS PRAEFECTO
CVLINAE HEREDITARIO, EPISCOPATVS
HILDESIENSIS PINCERNAE HEREDITARIO

RELL. RELL.

ILLUSTRATION

ATQUE FACILITATEM

DE

FRIEDRICH AUGUST

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE



REVERENDISSIME, ILLVSTRISSIMI,
ATQVE
EXCELLENTISSIMI DOMINI,
DOMINI AD CINERES VSQVE
DEVENERANDI,



VOBIS *vero praesertim*, DOMINI, *inscriben-*
dae erant primitiae laborum meorum acade-
miorum, cum pro VESTRA in me clemen-
tia VOBIS publice submississimas persolvendi grates nunc
ocasio mihi oblata sit. Vnice enim VOBIS, ILLV-
STRISSIMI DOMINI, debeo, quod curriculum stu-
diorum

diorum meorum hac absoluerè potuerim ratione. Nihil
itaque reliquum est, nisi ut deuotissime a VOBIS petam,
ut et has primitias ea accipiatis clementia, qua me ipsum
iuuenem VESTRIS beneficiis ad emetiendum curriculum
academicum indigentem excipere non denegastis. Conser-
uet VOS summum numen incolumes, omnique prosperita-
tis genere cumulatos. Quibus precibus satis factis, im-
posterum etiam VESTRAE clementiae ac VESTRO
patrocinio me submississime commendo

VESTRORVM
ILLVSTRISSIMORVM NOMINVM,

OBSTRACTISSIMVS AC DEVOTISSIMVS CLIENS
CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HENRICVS GRVNERVS.



DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
INSPIRATIONIS SCRIPTVRARVM
DIVINARVM IVDICIO
FORMANDO.

Cum omnis librorum sacrorum auctoritas, quam *canonicam* appellare mos inualuit, etsi nimis subtiliter multi ab hac denuo distinguant *iudiciale*, *dogmaticam*, *normatiuam*, et quis omnia teneat? cum itaque haec tota ab eius origine diuina pendeat, possitque nemo cum fiducia ei inhaerere, cui non ante omnia de hac certo constet; non mirum est, ab omni tempore Theologos doctrina excellentes in *inspiratione* horum librorum aestimanda, explicanda atque defendenda cum cura versatos fuisse. Atque augebant omnino hanc disputandi necessitatem, insani multorum contradicentium tumultus, qui nihil in scripturis adeo dignum tanto auctore reperire sibi viderentur, hocque et palam prae se ferrent. Horum impudens os omni argumentorum pondere opprimere, quomodo cessare potuissent, qui quotidie optimae religionis vim, tum apud se, tum apud alios experiebantur, et ipsum consilium quomodo non successisset in tanto argumentorum numero? Sed quod, vti necessarium, ita facile erat in vniuersum defendere, a doctissimis quibusque



husque semper iudicatum est, multis magnisque difficulta-
 tibus in explicando haud carere, et ita etiam euentus per
 longum tempus docuit. Nam dum apertos hostes vno co-
 natu profligant viri doctrina atque pietate clarissimi, in-
 ter ipsos dissensio fit, et, vt sumus homines, non sine acer-
 bitate propagatur. Cum enim alii inspirationem latissime
 extendunt, eamque non solum in *rebus* omnibus, verum
 etiam in *verbis* singulis, et vt Scholastici, ipsi tamen in
 vsu sibi contradicentes, loquuntur, in *materiali* atque *for-*
mali quaerendam esse contendunt; alii *verborum* quasi
 infusionem factam esse negant, solam *rerum* relinquunt;
 et vtrisque tertii se opponunt et ne quidem in rebus
 omnibus euenisse iudicant. Quorum quidem omnium ius-
 tam recensionem instituere non opus est, et si suo loco
 principes vniuscuiusvis opinionis auctores commemorabi-
 mus. Iam illud fateri cogimur, hunc dissensum non sem-
 per tantum fuisse, qualis leuiter animadvertenti videri
 possit, atque etiamnum multis eximiis magnisque viris
 videatur, hosque, qui tantopere repugnare sibi deprehen-
 duntur, si animo libero intercedas, forte cogitatione iun-
 gi posse. Quod cum PRAESES S. V. nobis identidem
 affirmaret, examinandi etiam nobis audientibus periculum
 faceret, nosque praeterea adhortaretur, dum consilium di-
 sputationis cum eo communicaremus, in hoc argumento
 ingenium exercere: non potuimus resistere et adhortantis
 benevolentiae, et rei grauitati, et nostrae ipsius in hanc
 sententiam propensione. Itaque propositum est, non qui-
 dem tantas componere lites, quod in nostram tenuitatem
 non cadit, sed experiri, an non componendi quasi viam
 aliis potentioribus suadere possimus. Quod dum agimus,
 ita operam nostram describemus, quemadmodum ipsa na-
 tura



tura litis postulat, et partim ostendemus, quale iudicium de *rerum* inspiratione ferendum sit, partim planum faciemus, quae quasi eius portio *verbis* tribuenda sit.

§. I.

Sed antequam ad hoc utrumque adgrediamur, non superuacuum erit, ob propinquitatem argumenti quaedam in ipso modo probandae in vniuersum inspirationis notare. Est enim nobis valde persuasum, neque hic omnia aut satis subtiliter conclusa, aut ad vincendum semper accommodata esse, quae a plurimis dicuntur. In quo non veremur, ne nobis propterea succenseant illi, qui omnia ad praescriptum magni alicuius systematis metiuntur, et addidit etiam animum *S. V. Praeses*. Dicimus itaque eos, qui ipsam inspirationis veritatem argumentis confirmare sibi sumunt, neque in horum *diuisione*, neque in *delectu*, neque etiam in *diuerso pondere iudicando* semper satis curiosos esse. Quod, quomodo intelligi velimus, amplius ostendemus, sed paucis, cum non de instituto sit.

§. II.

In diuidendo itaque primum minus placet, quando dicunt, *argumenta*, e quibus intelligatur inspiratio, esse tum *probabilia*, tum *certa*. Nam si *certa* adsunt, uti omnino sunt, quid opus *probabilibus*? Itaque dicunt, se ad illa referre eiusmodi indicia, quae *humanam* fidem giugnant, hisque *certa* adponere, quae *diuinam* pariunt. Atqui quid opus hac ambiguitate? Sed ita etiam video sibi non constare. Multa enim in *probabilibus* ponunt, quae vel ad communem persuasionem efficiendam plane non sufficiunt, ut mox videbimus. Neque amplius, ut modeste



deſte proſiteamur, nobis tum ſatisfaciunt, cum probabilia denuo vel *interna*, vel *externa* eſſe dicunt. Nemo quidem non videt, ita male conſuli bonis ingeniis ad ſeriem argumentorum certo ordine tenendam, et mox quoduis ſuo in loco proferendum, cum aequè in *certis internum* aliquid numerent. Nonne ſemper haerebunt, ſi internum aliquid poſtulem argumentum huius inſpirationis, vtrum *vis ſcripturae ſacrae* ſit commemoranda, aut *veritas* eius, aut ſimile aliquid? Itaque magis in eo ſequeremur B. BAVMGARTENII (evangelische Glaubenslehre Vol. III. p. 104. et 120.) doctrinam, ita tamen, vt ob memoriam iuuandam, et vno intuitu eorum naturam perſpiciendam breui deſcriptione ea complecteremur, vt alia ſint ducta ex *demonſtratione*, alia ab *experientia*,

§. III.

Si nunc ad *delectum* veniamus, ipſi BAVMGARTENIO non aſſentiri poſſumus, quando *primum* in his, quae deſcriptionis eſſe diximus, *ſimplicitatem ſtili*, *ſanctitatem* rerum, porro *antiquitatem* ponit, et ſingula ſeorſim tractat, e quibus tamen ita ſigillatim ſumptis ne quidem probabile ratiocinium humanum oritur, et praeterea antiquitas ad quosdam tantum libros eosque pauciſſimos pertinet. Reliquis vero ab *experientia* ortis valde dubitanter contra aduerſarium cum eodem et aliis pluribus adderemus *miraculoſam Chriſtianae doctrinae per omnem orbem propagationem*, et alterum, *martyrum*, puta, *teſtimonium* In hoc cauti eſſemus de omnibus illis cauſis, quae DODWELLVS (de paucitate martyrum) docte explicauit. Eam non adeo vrgeremus, cum non niſi probabilem et valde dubiam in iis ab omni tempore fidem parauerit, quorum
animò



animo Mahomedicae religionis amplificatio obuersaretur. Quae omnia cogunt, vt nobis quidem persuadearum, optime inspirationis tum apud alios, tum apud nos probationi consultum fore, si in argumentis prioris generis *veritas* scripturarum atque *constantia*, porro *sublimitas* argumenti, et tandem *miraculorum certitudo* ponatur; in posteriori autem genere *una vis scripturarum* vrgeatur.

§. IV.

Ponderis horum, quae iam selegimus, ratio si quaeratur, eam denuo non satis accurate explicare videntur. Nam in *veritate scripturarum*, tamquam primo ex quo demonstratio fit, movent quidem, atque hoc bene, eam *cerni tum* in testimoniis fide dignissimis; *tum* in constanti diuersorum in diuersis locis consensu. Sed non satis vrget, arctam copulationem veritatum per varia tamen tempora vnus post alteram patefactarum, in quo maximum omnino robur inest ad totius veritatem probandam. Suntque praeterea haec tria iterum non tam seorsim premissa, quam in vnum cogenda. Vt, si ostendere possimus, ea in sacris litteris facta esse, quanta in nullo libro humano vel esse possint, cum hic *vnus, vno tempore* cogitet, *vnus* fidem postulet, neque tamen secum vbique consentiat; in illis contra *decem*, aut *viginti variis temporibus*, et ita tamen *consentientes* vt perfectum *omnes* euadat; inde certissima fiat demonstratio, Deum totum sua singulari tutela moderasse. Ceterum nunquam satis, quod nostris sociis dictum voluimus, in testimoniorum ratione cognoscenda commendari possunt GROTIUS in incomparabili libro, de *veritate religionis Christianae*, BIVETIUS in *demonstratione euangelica*, et LARDNERVS



in libro germanice vers: *Glaubwürdigkeit der Evangelischen Geschichte*. Pergimus ad *sublimitatem* argumenti, alterum demonstrandae inspirationis fontem, cumque ea appareat *partim* ex rebus omnem humanam cognitionem fugientibus, vt *redemptione*; *partim* ex iis, quae nemo adeo libenter fingat, vt *sanctitate animi*; *partim* euentibus longe post futuris, aut clare *annuntiandis*, aut *imaginibus praefigurandis* in hac vltima parte multos nimis iuue se gerere videas. Vaticinia enim plus vrgent quam typos, cum tamen ad sublimitatem argumenti scripturarum quam maxime pertineant, adeo sapienter nimirum effecti, vt in comparatione cum re ipsa eandem vim habeant, quam inesse constat vaticiniis cum euentu collatis. Tandem tertium demonstrationis momentum *miraculorum certitudinem* nimis operose tractant, omnia ac singula miracula percurrendo. Nam si vnum certo accidisse v. g. resurrectione Christi, cuiusmodi sit, quemadmodum in aureo libello (*Zeugen Verbör der Auferstehung Iesü*) fecit SHERLOCKIUS, MIDDLETONI, qui plus roboris vaticiniis inesse putabat, aduersarius, reliquorum confirmatio simul facta reperietur. In quo etiam veneramus S. V. SCHVBERTUM, qui (in introd. in theol. rev. Cap. VII. §. 229. seqq.) pro veritate religionis Christianae, cum qua ipsius inspirationis veritas coniuncta est, hoc maxime vrsit. Sed haec obiter de modo inspirationem probandi dixisse sufficiat; Transeamus ad ipsum institutum.

SECTIO

* * *

SECTIO PRIMA.

§. V.

Non vero id agemus, vt in verbis *θεοπνευστίας*, *Deo-
tricius* latinisque respondentibus explicandis diu haeremus,
praecipue, cum vniuersae disputationis propositum sit,
planum facere, esse haec atque huius generis alia vocabula
apud optimos scriptores amplissima significationis. In eo
potius elaborabimus, vt nobis ipsis leges praecipiamus, et
quasi cautiones quasdam, ad quarum praescriptum nostrum
qualecumque iudicium de inspiratione rerum informemus.
Statuimus vero primum cum B. BAVMGARTENIO (Evan-
gelische Glaubensl. Vol. III. p. 25. litt. β.) et HEILMANNO
(Comp. Theol. p. 30. in extr.) *miracula praeter necessita-
tem non esse augenda*. Et quem non hic vniuerse consen-
sientem habeamus, cum satis constet, hoc multoties in
aliis rebus recte eos ipsos videre, qui hic suae persuasionis
obliti in minimis miraculum perpetuum ponunt. Quare
mox addimus, *cauendum quoque esse, ne inspirationem
vniuersam vel nimium in modum exaggeremus vel nimis
extenuemus*, in quo sequimur auctoritatem S. V. SEMLERY
ad BAVMGARTENIVM p. 40. not. 7. Sed et hoc iam
sumimus tantum nobis, per reliqua amplius illustrandum
atque etiam confirmandum; dicimusque porro, *non mi-
nus cauendum esse, ne vna definitione inspirationem rerum
ante cognitaram et plane nouarum complectamur*; vtque
hoc possumus, quartum, *communia inspirationi omni ab iis
curiose separanda esse, quae pro vario rerum genere huic
aut illi propria erant*, atque sic tandem non nimis crassae
verbi significationi semper inhaerendum esse, et diligenter
cogi-



cogitandum, dari gradus inspirationis. Haec quae ita posuimus, etsi videri possent per se tam aperta esse, vt ipse sensus communis ea muniat, tamen ex mox dicendis apparebit, ab vtraque parte dissentientium non, siue animaduersa, siue, in quo plus admirationis est, concessa fuisse.

§. VI.

Transferamus itaque haec ad aliorum de rerum inspiratione sententias. Patet vero iis non moueri primum, qui, vt plurimi ex Nostris, *inspirationem esse affirmant, actionem, qua Deus omnes conceptus rerum scribendarum communicauerit atque suggesserit;* aut etiam, *qua Deus omnium, quae scripturis sacris continentur, auctor sit.* Etenim ita semper adhuc quaestio relinquitur, *quomodo nunc Deus omnium auctor extiterit, cum non eadem in omnibus argumenti ratio sit? qualis fuerit illa communicatio in rebus iam cognitis? an in his quoque necessaria? et si vel maxime necessaria, in quo tamen diuersa fuerit ab communicatione rerum plane nouarum? Itaque videas, hoc praecipiendo leges ante positas omnes simul negligi.* Tertiam, quod per se patet. Quartam et postremam, cum videantur omnes gradus inspirationis et proprietates peculiare inspirationis cuiusdam negare. Tandem primam et secundam, dum ita miracula praeter necessitatem augeantur, et nimis exaggeretur inspiratio rerum iam cognitarum. Deserunt porro secundam in primis cautionem, qui *inspirati nem rerum cognitarum in sola approbatione ponunt, aut contra, qui in his meram aduersionem, moderationem et gubernationem suffecisse negant.* Illi enim valde otiosum numen sibi fingunt, quod rem adeo grauem curae ministrorum reliquerit, regum quietem imitando.

tando. Hi posteriores vera nimis crassam verbi multo crassioris assistentiae ideam sequuntur. Non magis plus vident illi, qui viris diuinis in inspirationis actu nihil relinquunt praeter *manum*, visque *tamquam amanuensibus omnia in calamus dictata fuisse* credere iubent, vt maxime mos erat superiorum temporum. Est hoc profecto miracula praeter necessitatem augere, res per se magnas, quasi adeo necesse sit, nimis amplificare, et, vt hoc quoque addam, Ebraismum non intelligere, et nescire, vbi *מַנְיָן* per *manum* in contextu scribendi occurrat, hoc idem esse, ac simplex *per* (Cf. S. V. ERNESTI in proluf. de vestig. ling. Hebr. in ling. Graec. p. 7.) Tandem neque illi satisfaciunt, qui varios *actus* inspirationis recensent. Quae enim hac appellatione intelligunt ad intelligendum aptius erat, *gradus* dici, vt mox videbimus. Et quod in quavis inspiratione omnes actus coniungunt, faciunt profecto, vt res per se tam diuina coram profanis iudicibus irrisioni atque contentui fiat.

§. VII.

Sed firmemus nunc nostram sententiam, qua dicimus, esse animaduertendum, amplissimae significationis verbum inspirationis esse, eiusque varios gradus agnoscendos, atque videndum, quae variis pro varietate argumenti inspirandi modis propria fuerint. Et quis adeo neget, rem ita se habere, si cogitet primum ipsam intellectus humani formationem a Deo profectam esse quandam inspirationem et quasi vitimum eius gradum, neque in eo ludi vocabulo, nisi nimis etymologiam premere velimus? Nonne ipsum Mosen audis animae humanae cum corpore conjunctionem tanquam *afflarum* diuinum describere? Non-



ne vides, Deum auctorem idearum nostrarum, si demas, quod humana addit corruptio, toties recte dici, quemadmodum in Scripturis Deum omnium conceptuum auctorem dicunt? Quin etiam si nimis subtiles esse velimus, patet hunc ipsum vltimum gradum, in se sumtum, de nouo suos gradus habere. Quo maiori enim pondere mensura omnium virium intellectus in vno superat mensuram earundem in altero, hoc maior cogitur ipsa esse inspiratio, vt adeo hic gradus infinitorum aliorum capax sit. Vnde nihil profecto veter, B. LVTHERVVM inspiratum non solum, sed etiam valde inspiratum dicere. Quoties etiam non dicunt, qui virum *diuinum* rectissime appellant! Quoties non alios aequae, quos modo loquendi scripturis vsitato, *Deum elegisse ab vtero*, affirmant? Sed quo magis ita statuere ob amplitudinem verbi de ipsis Scriptoribus vere diuinis vsurpati agnoscere necesse sit, facit alterum hoc, quod, nisi hoc teneamus, vnum idemque *praeter necessitatem* perpetuum in Scripturis tradendis miraculum, cum magno detrimento totius rei apud malos homines, ponatur. In quo profecto non veremur, ne quis contra dicat, tunc praescribere audes, quid necesse, quid minus fuerit, quid de necessitate, quid praeter eam! Nam si res cognitae erant, non solum ante, sed etiam coram ipsis Scriptoribus gestae, nonne vides in his omnium conceptuum infusionem haud necessariam fuisse? Sed diximus iam sensum communem cogere, vt ita praecipiamus, et qui in eiusmodi rebus ad vniuersam corruptionem huius sensus prouocare velint nihil intelligere, neque adeo vnquam dicere posse, irrisorem religionis saepius *insanire*. Vnde adeo deprehendimus eos ipsos, qui in hoc genere non satis accurate versantur, secum ipsos pugnare,

gnare, et coactos esse hanc graduum diuersitatem concedere, si ad singulos libros sermo transferendus sit, quam tamen in vniuersa disputatione negant. Quid v. g. RIVERTVS; ille ipse, quem venerandae doctrinae et pietatis senex Io. Gottlob. CARPZOVIVS ob docte explicatam inspirationis rationem laudat (Crit. Sacr. p. 58.) Is nimirum etfi dixisset in egregia *Isagoge* (p. 8.) *sacram Scripturam processisse a Deo tanquam speciali auctore, non tantum ad scribendum impellente, et sententias asserente, sed etiam ordinem et verba suggerente*; haec itaque cum dixisset, et nihil adeo reliquisset, quod non sumto vocabulo strictiori suo significato inspiratum sit, tamen mox p. 110. et 111. in rebus historicis *solum impulsum et directionem inter scribendum*, de diuina gratia fuisse contendit, ibidemque plura docte disputat. Sed ita quoque non dubitamus, quin non solum ita intelligi voluerint Cornelius LAPIDEVS, Hugo GROTIVS, Petrus SCHVRIAEVS, verum etiam multo duriores Nat. ALBERTI VERSEI, CLERICI et nuperrime MIDDLETONI sententiae hoc modo molliores apparituae sint. Nam dum nostri crassiores verbi notionem sequebantur, illi nimis pertinaces ipsam amplitudinem verbi amplius non videbant, cumque nostri partem mittere recusarent, nunc illi, quasi iure talionis vsi, totum proscribere audebant. Atqui quam certum hoc sit, amplius ex ipsa constitutione horum graduum patebit, quam mox suscipiemus, si prius pauca *de communibus* inspirationi omni attulerimus.

§. VIII.

Sed in his, quae communia diximus, non adeo ampla opus sit disputatione et vel sola recensio suffecerit. Patet





tet enim, primum in omnibus *expressum mandatum divinum* necessarium fuisse, his, quibus a nobis libenter et quidem in salutis opere adeo graui fides habenda erat. Atque hoc sibi volunt omnino omnes V. Testamenti scriptores per toties inculcatum suum אלהים אלהים, in quo ceterum non magnam analogiae linguarum intelligentiam produnt, aut, vt libentius credimus, simulant eam, qui inde singulorum verborum inspirationem cogere volunt. Sed hoc obiter. Illud iam monendum est, hoc ipsum mandatum non minus varium, multiplex et apud diuersos diuersum esse potuisse et hoc minus in eo audiendo in primo sono acquiescendum esse (Cf. S. V. SCHUBERTVM introd. in theol. rev. p. 341. not. 3.). Adesse enim intelligebatur non tunc demum, si vox audiretur, verum etiam per solam aliquando idearum plane nouarum in animo effectiorem, ita subitam et adeo claram, vt, quibus accideret, illi mox persuasi essent, quemadmodum *Virgilius* canit;

non haec humanis opibus - -

proveniunt. - - - -

Maiores agit Deus.

Quin etiam in historicis v. g. satis *expressum* erat, si eiusmodi occasiones nanciscerentur, quibus rem ita, vt nemo alius, secundum omnia adiuncta, cognoscere possent, et in talia tempora inciderent, quibus cogerentur momenta historiae cuiusdam in litteras transferre. Quis enim ex capite de *providentia* non edoctus sit, Deum etiam temporibus nostris, tamquam suis, providere, occasiones bonas nobis suppeditare, disponere et sic porro? Ita nihil dicunt, qui, propter illud ΕΑΘΕΕ ΚΑΜΟΙ, *LVCAM* mandato ad scribendum caruisse existiment; quid enim prohibet, quominus cogitatione addere possimus *Petrinum* illud, *ναί*
ΙΙΝΕΤ.

 * 

 DNEYMATI AFIQ non repugnante LVCA, qui si ad ver-
 bum intelligendus foret, vel contra prima principia negaf-
 set, Deum animos humanos ad quiduis boni suscipiend-
 um gubernare. Praeter hoc vero mandatum, in com-
 munitibus inspirationi omni *intelligentiam* etiam *earum re-*
rum, quae scriberent, nemine, vt puto, contradicente
 ponimus. Abit enim in merum *Fanaticismum*, si quis,
 quos etiam non defuisse constat, contrarium statuere velit.
 Sed patet etiam hoc concessio, repugnare eos meros amanu-
 enses dicere velle, quorum scilicet non adeo est, ea intel-
 ligere etiam, quae scribunt.

§. IX.

Facile vero haec per se intelligi poterunt. Difficilior
 est disputatio, si nunc quaeramus, quid diuinum Numeri
 in variis rerum generibus inspirandis egerit, adeoque va-
 rios, quemadmodum diximus, gradus designemus. Sed
 tollitur etiam omnis difficultas, si ipsam varietatem et di-
 uersitatem rerum tradendarum fundamenti loco ponamus,
 et ad hanc ipsam mensuram diuersam inspirationem aesti-
 memus. Quam viam etiam ex aliqua parte iam ingres-
 sus est RIVETVS (L. G. p. IO. II. 7.) verum non aequae
 persecutus, vti Ven. HEVMANNVS in loco ad MAT-
 THAEVM opinor, quem tamen urgente tempore non de-
 nuo requirere potuimus. Certum est, Virum acuratae
 doctrinae et magni acuminis bene praecepisse, esse distin-
 guendum inter res *dogmatici*, *historici* et *prophetici* argu-
 menti, et secundum has etiam singularem inspirationem
 fuisse. Etenim si aliquando in illis duobus prioris generis
 eandem plane negare videtur, factum id, quoniam non
 minus ambiguitate verbi fallebatur. Itaque nos quoque
 hanc



hanc viam ingrediemur, et dicemus, cum quaedam res fuerint *cognitae*, aliae *plane nouae*, in vtrisque aliter diuinam prouidentiam versatam fuisse, et cum etiam in *rebus cognitis* argumentum diuersum fuerit, non minus in his vario iterum modo. Quae si paucis explicauerimus, facile erit, cum aliqua certitudine inde gradus varios quasi abstrahere, atque efficere, vt Viris intelligentibus certe in vniuersum satisfaciamus.

§. X.

Iam nemini adeo dicendum est, *res cognitae* denuo vel *res gestas* vel *decreta* religionis fuisse, graeco nomine *δογματα* dicta. Ita v. g. totum argumentum *Hymnorum* LXXVIII, CIV. ex priori genere erat, et iam ante in libris *Mosis* descriptum, ex posteriori genere, omnia illa, quae Apostoli Domini nostri Iesu Christi aut ab ipso Magistro iam edocti fuerant, aut noua Sp. S. reuelatione facta in vna epistola iam tradita, in altera post scripta denuo inculcabant. Et quid opus pluribus in re adeo clara, vt neque pueros fugere possit. In his itaque affirmamus sapientissimum Numen ita tum ipsis ministris suis, tum nobis prouidisse, vt *primum accuratum delectum in tanta copia rerum fieri curaret*, atque hoc quidem duplici iterum modo. In rebus enim gestis moderatione diuina efficiebatur, vt ea imprimis adiuncta describerentur, quae siue iam in tabulas publicas et ab antiquissimis temporibus in singularum familiarum monumenta priuata (vsu tamen non minus publica) relata essent, siue ab ipsis diuinis scriptoribus videndo audiendoque perspecta, maxime pertinebant, tum ad prouidentiam quae rebus humanis benignissime, consuleret illustriorem, in animis hominum reddendam,

dam, tum ad virtutum vitiorumque characteres hoc clari-
 ori modo proponendos, tum denique ad totam salutis oe-
 conomiam per omnia tempora hoc apertius cognoscendam.
 Quod primo eiusmodi erat, ut si vel maxime nihil plus de suo
 addidisset sapientia diuina, tamen in summo apud nos benefi-
 cio reponendum foret, Verbo deinde late sumto vere inspira-
 tionis diuinæ res, et tandem ad fidem diuinam gignendam
 satis sufficiens. Quis enim non beneficium maximum intelli-
 git, cum in rebus narrandis, quarum insignis est copia, et ad
 vsum hominum narrandis, ut *πρωμυατικη* euadat historia, vix
 vna hominis aetas aliquando colligendo, et disiecta mem-
 bra ordinando sufficiat? Quis porro non aequè libenter
 agnoscat diuinum in hoc delectu Spiritum, si vel maxime
 non in singulas res, huius, quam accurate factus sit, expe-
 riendi causa, se quasi immittat, cum in nulla re lapsus fa-
 cilior sit, et optimi historici aliquando re ipsa errauerint.
 Sed ita fides nostra etiam satis firmata, cum omnes ei cre-
 diderint, qui neque *voluerit fallere*, neque *potuerit*, quod
 vtrumque per hunc delectum satis cauebatur. Quam ita-
 que nihil vident, qui actum esse clament de diuina aucto-
 ritate librorum historicorum, si quis suspicionem faciat ac
 si mero delectu sit metienda inspiratio partium historica-
 rum vtriusque Testamenti. Nunquam scilicet commenta-
 rios rerum gestarum ipsi scripserunt, et in periculis Enar-
 ratoris humani versati sunt. Ut adeo haec res facilius al-
 teri CONRINGIO, MEIBOMIO, MASCOVIO aut GEBAV-
 ERO persuaderi possit. Maximum vero in rebus narrandis
 hunc delectum fuisse et valde curiosum, tum ipsa copia
 rerum gestarum docet, tum professio diuinorum homi-
 num, ut IOANNIS (Ev. XXI, 25.) cogit, ut credamus.
 Cerni vero in eo diuini Numinis gubernationem plane
 C lingu-



singulatam ita clarum est, vt ad peruidendum nihil amplius opus sit, quam vt v. g. ex V. T. quaedam primaria momenta factorum seligamus, atque hic planum faciamus, quam arte cum iis *res, personae, fata* N. T. connexa sint, quod quidem huius loci non est operosius demonstrare, et est ab aliis iam effectum, nuperrime quidem a PRAESIDE S. V. (Lehrbuch des christlichen Glaubens) hinc inde et imprimis p. 239. in quo loco ostendit, quam parum in vltius hominis acumine positum fieret, narrationi, de filio primo Adamo (*Gen. VI, 1.*) nato, addere illud, *qui imaginem eius referret*, inque hoc additamento ita fundamenta ponere doctrinae de *propagatione peccati*, vt ab hoc loco pedetentim perfectum eius surgeret *ovsnuce*. In decretis porro religionis non minus antea iam *cognitis* in delictu faciendo non alias sapientia diuina existimari potest leges sequuta esse, quam, vt in *credendis* et *agendis* ea apud diuersos repeterentur, quae *loco, tempori, hominum generi* maxime accommodata erant. Lege disputationem PAVLI coram FELICE, et cognosces. Nam neque in hoc confirmando vberiores erimus, cum perpetua Apostolorum consuetudo edoceat.

§. XI.

Pergimus itaque, et amplius tamquam *secundum* inspirationis in vtroque rerum genere effectum hoc ponimus, vt *Deus omnibus animi viribus nouum robur addiderit, mirum in modum vim iudicandi acuendo, vim imaginandi illustrando et vim reminiscendi confirmando*. Quae res iterum eiusmodi erat, vt *primum* ea vis maxime corroboraretur, qua in quouis loco praecipue opus erat, vt *in re facta enarranda, vis reminiscendi, in re doctrinali simpliciter*



*citer proponenda, vis iudicandi, in ea exornanda praeter hanc etiam vis imaginandi; porro, vt rem illico totam per- uiderent, et quae nos operose cogitando concludendo et imaginando conquirimus, iis omnia mox succurrerent, adeoque, etsi non cogitandi, concludendi, imaginandi denique actiones cessarent, tamen harum omnium labor periret. Ita, vt hoc utar, si res comparatione esset ad magis cognoscendum et commouendum proponenda, ita vim, quae imagines rerum externarum arripit, firmabat diuinum Numen, vt mox imago aptissima succurreret, et nunc iudicium ita regebat, vt accuratissimus eius vsus fieret. Vnde quoque videmus, omnem humani ingenii facilitatem superari a diuinis scriptoribus in eligendis imaginibus, et omne acumen in vsurpandis. VNUS IACOBVS quam non in hoc genere regnat, et vna illa negligentiae, in verbo diuino ad vsum transferendo, comparatio, quam non ad omne regularum QVINTILIANI alicuius artificium efficta videtur. Sed si hoc sit, primum non satis circumscripte loqui patet eos, qui, vt germanice loqui amant, dicant: *es sey ihnen das eigene Nachdenken noch übrig geblieben.* Nam de vulgari certe vsu huic Germanorum *Nachdenken* semper aliquid molestiae adhaeret, qua tamen inter cogitandum non affectos fuisse homines diuinos omnino credendum est. Sed parati etiam sumus, iis cedere, si hunc cogitandi *nisum* de verborum *delectu* nobiscum intelligere velint, vti est omnino, et ipsi hoc modo aliquid ponunt latenter, ex quo iis inuitis hoc sequatur, vt deinceps videbimus. Contra, qui hoc cogitent, eos non amplius perturbabit LVCA S affmans se omnia *angethos* scripsisse, et quasi ponderasse; etsi enim ex vna parte haec affirmatio probat, relictum ei fuisse proprium studium sine mo-*



Iestia, tamen ab altera parte neque Deo id demit, ut iudicetur vim iudicandi et intelligendi *EVCAE* singulari modo acuisse. Neque minus haec omnia cum usu transferri poterunt ad difficultatem, satis frequentatam aliorum disputationibus, tollendam, quae ex comparatione *1 COR. XVI, 5-8.* cum *2 COR. I, 15-18.* oriri videtur. Est enim planissimum dicere, Deum consilium hoc *PAVLO* natum, etsi impedimenta praeuideret, tamen non impeduisse, quo minus prescriberet, cum esset per se bonum, et ad solatium discipulorum accommodatum. Ut adeo neque proprie dici posset ipse infudisse, neque adprobasse, atque utrumque dici etiam non opus sit.

§. XII.

Sed erant etiam res plane *novae*, ut *praedictiones rerum futurarum*, et *partes doctrinae christianae ante non reuelatae*: in quibus postremis constat, multa numeranda esse, Apostolis demum post discessum *Setuatoris* patefacta. Horum itaque *primum ideas formabat* diuina potentia *in animo*, et praeterea omnem simul iudicandi, imaginandi, *reminiscendi vim aequabili modo confirmabat* augebatque, quod utrumque, etsi minus puro vocabulo, *sanctificare* in scholis appellant. Quo iterum efficiat sapientia moderatrix, *partim* ut ipsi intelligerent, quid scriberent, remque cogitatione accurate complecterentur; *partim* ut imaginibus rerum externarum usi, ipsi altiorem quasi praesentem viderent, aliisque intellectu faciliorem iuocandoremque redderent: *partim* ut ne minimum quidem momentum sermone intactum relinquerent. Et hoc totum cui se non probet, si vaticiniorum naturam, sermonem, reliqua secum cogitet atque perspiciat.

§. XIII.

§. XIII.

Cognoscitur itaque ex his, quae summam quidem, sed tamen ad intelligendum satis sufficienter disputauimus, varios in inspiratione rerum pro harum diuersitate gradus extitisse, et singulorum consequentiam ita ordinandam vt dicamus, *ultimum fuisse gubernationem diuinam, quae effectum, vt in multitudine rerum in eas in primis animum figerent, quae maxime de usu futuro omnium essent; proximum ab hoc, maiorem confirmationem virum animi mox huius mox illius, pro vario rei argumento; summum denique nouarum idearum informationem cum aucto omnium virum robore coniunctam.* Quod si nunc ita rem adeo diuinam cogitemus, apparebit sane verum esse id quod antea monuimus, vt nimirum saepius sola verborum pugna super vniuerso hoc argumento inter viros doctos fuerit, ex quibus alii verebantur, ne tota cessaret inspiratio, nisi illa conceptuum communicatio teneretur, rem amplissimo sensu fumentes, alii totum negabant, in quibusdam saltim, seducti nimis arcta verbi significatione animo inhaerente. Itaque consentaneum fit, vt etiam in hoc genere disputationis ante omnia quemadmodum probatum dedimus, in notione verbi conueniamus.

SECTIO SECVNDA.

§. XIV.

Sequitur, vt ad verborum inspirationem transeamus, super qua non minor inter Viros celeberrimos lis acta est, et in qua plane neganda multo plures deprehensi fuere, quos copiose recensuit B. *Christoph. Matth. PRAEFFIUS* ad



Matthaeum, itemque in *disputatione de inspiratione diuina Scr. S. et introductione in historiam theol. litterariam* P. I. p. 297. Atque in primis superiore seculo MUSAEVUS propterea a GROSSIO petebatur, adiuuante hunc DAN. HENRICI, singulari libello proposito cum indice, *lucubrations in aphorismum orthodoxum, quod Deus Mosi et Prophetis et Apostolis non solum res sed etiam ipsa verba inspirauerit.* Sed libro, cuius praeterea nulla copia dabatur, haud difficulter caruimus, cum non probabile erat, argumenta pro hac parte inspirationis in eo occurrere, aut plura, aut alia, quam quae quotidie proferuntur, vt potius credibile sit, noua nostris temporibus per multorum doctrinam accessisse. Vt nunc strictim ponamus, quid nobis videatur, non veremur dicere non satisfieri nobis rationibus horum, qui huius quoque factam per omnia esse doceant, quin potius existimamus totum hoc sine necessitate disputari tribus potissimum de causis. Etenim primum *ipsa Scriptura de inspiratione verborum plane silet*, deinde *nihil cogit, vt verborum suggestionem assimemus*, tandem ita *multae difficiles quaestiones declinantur.* De quibus singulis figillatim agemus.

§. XV.

Et Scripturam quidem nihil plane, quod *ad verborum* attinet communicationem praecipere ex sequenti inductione omnium locorum, ex quibus eiusmodi quid apparere volunt, patebit. En! ordine eos adponemus, ordines a primario ex V. T.

IER. I, 9. Vrgent hic phrasin, *verba in os ponere*, atque nunc concludunt, si hoc factum sit, cogi, vt ipsa verba inspirata putentur. Sed primo verissime dicere possumus,

sumus, hunc talem loquendi modum non verbatim pre-
 mendum esse. Quid enim tunc fieret sapientiae diuinae,
 quae Mofi balbutienti praecipit (*Exod. IV, 15.*) vt *verba*
Aaroni in os ponat? Nonne hic clarum est, Aaronem Mo-
 fi adiungi, vt hic *summam rei cum illo* communicaret, at-
 que Aaron deinceps *proponendi modum* de suo ingenio fin-
 geret? Nonne vides? *Dei personam Moses sustinet*, —
Aaron Mosis minister est: Plane, vt in inspiratione, vbi
 Deus *res suggerit*, vir diuinus eas *suo modo eloquitur*.
 Sed si vel maxime hic locus deesset, semper tamen foret
 a *particulari ad vniuersale* indocta conclusio. Rem plane
 nouam multoque post futuram enuncianti Prophetæ,
 huic facile credo verba etiam suppeditanda fuisse. Sed
 DAVIDI domi canenti, aut PAVLLO epistolam in carce-
 re scribenti, non aequè (cf. §. XVIII.) Sed huic multo
 plura superaddunt ex N. T., vt

MATH. X, 19. (*Luc. XII, 11. coll. XXI, 15.*) in quo
 loco recte vident verba *πῶς* et *ῥωμᾶ* singularem vim habe-
 re. Sed vidimus etiam nos eundem in concludendo lapsu
 cum proxime allato. Nam in subitaneo et improviso ser-
 mone necessaria omnino erat verborum largitio, ne cum
 detrimento veritatis, maleuolis iudicibus audientibus, haesi-
 tarent. Quis enim vel maxime eloquens in extemporanea
 dicendi occasione non aliquando monitore egeat, parato con-
 tra et prompto verborum apparatu, si ad scribendum libero
 animo et tempore concessio accesserit? Atque hoc, vt hoc
 minus dubium esse possit, quare, non aequè vident Serua-
 torem addidisse ἐν ἘΚΕΙΝΗ Τῇ ὥρᾳ.

I COR. II, 13. coll. 4. Prouocant hic ad verbum *λογων*.
 Atqui tum ipse vsus verbi *λογος* suadere videtur, vt de
argumentis intelligamus, tum contextus cogere. Loqui-
 tur



tur enim PAVLLVS de eo praedicationis modo, qui in Corinthiis veram fidem excitauerit, quod certe non *verbis*, sed *argumentis* et *ponderi rerum* tribui potest. Vt non dicamus, verbum συγκεντρυν, *Celeb.* HEVMANNO consentiente, et ante eum multis aliis doctis interpretibus, nouum robur nostrae opinionis addere, quod non est *loquentis* sed *conuincentis*, *ponderantis*, *iudicantis*. Ferrem, si dixisset πνευματικῶς πνευματικὰ λαλοῦντες.

GAL. III, 16. In hoc loco dicunt, Apostolum ex verbis Moſis disputare, horumque *proprietaem* vrgere, quam sententiam nuperrime exornauit *Cel.* MICHAELIS (in compend. Theol.) Sed vix a me impetrare possum, quin libere fatear, videri primum hoc modo verum quaestionis argumentum deferri, cum non quaeramus, *utrum verbum proprium elegerint, sed an hoc verbum proprium ipse Deus iis communicauerit?* Prius quidem ex loco allato certissime efficitur. Sed vix credo vt posterius inde cogatur. Deinde Apostolus non tam *ipsum* verbum vrgit, quam *formam eius singularem*. Hanc vero cum multitudinis numero ne permutaret Moſes, ipse omnino Deus praecauebat, idque necessarium erat, cum haec forma singularis *pertineret ad ideae inspiratae* conceptum. Res peritura fuisset, si τοῖς σπερματικῶν dixisset.

2 TIM. III, 16. Sed *πασαν γραφην* ex communi loquendi vsu *res* verbis inclusas indicare, quis non facile videat? Et quoties nos dicimus, *totum librum* aliquem esse eximium, si vel maxime orationis puritas et suauitas desit. Itaque hic profecto nemo de verbis cogitat, sed de argumento eiusque vtilitate atque pondere.

Quomodo nunc praeter haec, quidam, Magni etiam Viri, vt BAVMGARTENIVS (L. c. p. 42.) vsitato isto ΓΕΡΑΝΤΑΙ

ΤΕΡΑΝΤΑΙ γὰρ in excitatione locorum V. P., uti possint, plane non video, cum clarum sit, Apostolos adeo recedere a verbis et solum sensum sequi; unde alius quis plus inde efficere posset, quam ipsi vellent.

Sed ita etiam patere existimo id, quod primum fecimus, nempe, ut nulla de inspiratione verborum affirmatio in ipsis S. Scripturis reperiatur.

§. XVI.

Si nunc porro defendimus, nihil etiam admodum cogere verborum inspirationem tueri, breui, ut puto, admonitione consequemur, ut pateat. Quod enim dicunt, posse ideas rerum non sine vehiculis quasi verborum animo complecti, adeoque etiam non potuisse eas viris diuinis sine his insinuari, bene esset, si primum nos sine omnibus verbis rerum inspirationem factam intelligeremus, rem profecto plane non intelligendam. Quia potius facile largimur, Deum summam rei strictim pressaque oratione reuelasse, totius vero orationis artificium, et amplificationem per contextum plurium verborum reliquisse hominibus. Fingamus itaque PAVLLVM impulsu diuino iussum esse, scribere praeter Dom. nostrum Iesum Christum nullum amplius redemptionis remedium esse. Ponamus hoc a Deo ipsi inditum! Nonne nunc facile fuerit PAVLLO hactenus edocto suis verbis dicere, non esse in alio salutem, neque aliud ovibus hominibus datum esse etc.? Numne credibile est, Apostolum minus in hoc valuisse, quam nostros coram populo doctores, qui promte rem strictim cogitatam verbis explicare possunt? Quare illis amplius tribuenda commentationis necessitas, qua certe non opus habebant in rebus, sed in verbis, ordine et structura totius

D

ora-



orationis? Et quomodo tandem, si verborum electionem auferas, non *vera* amanuenses fuerint? Equidem vix haec cogitatione separare possum. Sed addimus quoque apud eos plane illa impedimenta accurati verborum defectus cessasse, quae meris hominibus accidunt. Nam in his, si apti vocabuli inuentio difficultatem pariat, et saepius tentata toties non succedat, in ipso cogitandi modo vitium quoddam superesse proprius quemuis vsus docere potest. Sed per ea, quae de virium intelligendi et imaginandi confirmatione in rerum inspiratione diximus, patet omnino scriptores sacros rem oblatam multo *clariore modo peruisse*, quam alius vel maxime exercitatus proprio studio vnquam potuerit.

§. XVII.

Accedamus ad tertium, in eo positum, quod multae, si a communiore sententia recedimus, *difficiles quaestiones declinentur*. Constat primum de *varietate stili*, vnde explicanda sit. Nam quando eam quaeri praecipunt in *συντομογραφία* Sp. S. *qua proprium cuiusvis loquendi modum in eligendis verbis secutus sit*, quare non potius hanc ipsam in eo ponere velimus, quod *propriam suam scribendi rationem cuius libere vrendam reliquerit*? Si semel humano ingenio in re non momentosa se accommodauit, qui modus, vt ita dicam, maiestati eius conuenientior? Itaque ne illud quidem dicemus, quod contra vulgarem explanationem varietatis stili monuit HEILMANNVS (l.c. p. 30.) Ipsae porro *citationes Apostolorum ex graeca Versione V. T.* non tantam amplius difficultatem parient. Etenim, si Deus verba vere inspirauit, nescio sane an existimari possit, Deum ipsum quasi poenitentia verbi sapientissime olim *lecti*

lecti ductum fuisse. Contra si nulla fuerit verborum inspiratio, neque Apostoli, aliqua ratione in his sibi relictis, temere egisse censeri possunt, quando sensum potius exprimunt, quam verbum ad verbum repetunt. Atque inde rursus *ipse versionum usus*, quod nollent multi religionis hostes, toties clamando, versionibus cum plurimis utendum sit et his non confidendum, religionem non adeo multorum esse, contra hos itaque usus versionum sine magno labore defendi poterit. Si enim Deus verba ipsa inspiravit, non video, quomodo vlla versio probari possit. Ponamus enim eam verbum aliquid *aut* non totum exhaustum, quod in nuda versione saepius plane non fieri potest, *aut* omittere aliud, habebimus profecto *crimen laesae divinae maiestatis!* caremus particula aliqua verbi divini. Legitur non amplius verbum Dei totum! Deest semper aliquid. Cedendum etiam erit Romano Catholicis in denegata Laicis lectione Scripturarum. Quodsi vero sumamus, licuisse Apostolis *sensum rei* verbis paucioribus aut pluribus eloqui, neque adeo periclitabimur, si in versione vnum desit aut superfluum legatur. Adest tamen *sensus* atque *veritas divina*. Non minus nulla operosiore disputatione opus erit, *in vi* atque *efficacia locorum Scripturae male interpretatorum obrinenda et definienda*, etsi eam docte Lipsiae instituit pl. rev. MEHNERS, ante aliquot annos. Nam, cum verba non ex peculiari dono divino profecta sint, res tamen eidem tribuendae, mihi quidem non amplius dubium sit, potentes in animo effectus non minus per has solas produci. Nam *res* mouent, non verba. Satis mihi itaque sit rem diuinam in eiusmodi locis deprehendere, etsi ex auctoritate originum alia, quam haec quam versio offert, cogitanda erat, et, quam nunc huic confidens co-



gito, in alio loco quaerenda erat. Atque sic tandem *superstitioni multorum cauetur*. Vnde enim nisi hac persuasionem moti olim omnes fere adeo pertinaciter et non sine irrisione apud prudentes pro integritate lectionis N. T., nescio qua vniuersali omnium codicum, pugnabant? Et vnde, nisi eadem ducti, multi amplius pro hac in V. T. pugnant? De *puritate* sermonis idem non minus valere existimamus: neque v. g. hoc posito minus profanum existimandum HIERONYMI de AMOSO pronunciatum.

§. XVIII.

Apparere itaque existimamus, vniuersam verborum inspirationem vix credibilem esse. Quod dum dicimus non minus patet, nos hactenus eam concedere, quatenus *aut* in rebus plane nouis viri diuini versabantur, *aut* minus parati ad religionis summam, siue tradendam, siue defendendam, accedebant. In reliquis omnibus non veremur dicere, Deum, tum *ab errore verborum minime aptorum sola praesentia iis cauisse*, tum *delectum feliciter factum suo nutu approbasse*. Atque sic ad illum locum delati sumus, in quo subsistere possumus, lectoribusque beneuolis liberum, nihil amplius interloquendo, iudicium relinquere.



AD
CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM
CHRISTOPH. AVGVSTVM HENRICVM
GRVNERYM
SEMIN. THEOL. SVBSENIOREM
GRATVLATIO
PRAESIDIS.

*Et si neque TV, eximie GRVNERE, adeo egeas mea apud
alios commendatione, neque libellus TVVS, quo magis
placere possit, me praeconem suarum elegantiarum sibi flagi-
tet, sponte tamen mea hoc quaecumque monumentum TVA-
RYM laudum TIBI adpono, vt, quotiescunque per omnem
vitam ad illud delatus fueris, mei apud animum TVVM
memoriam, gratam mihi atque iucundam, repetas. Ne-
que verendum est, ne ad eum, qui in omni studiorum ratio-
ne per plures annos egregie et sapienter versatus est et hanc
eorum, quam omnes vident, clausulam fecit, ad Eum, ita-
que, multa cum laude dicendi mihi copia desit. Atque sic est
omnino nihil, quod maius ad aliorum de TE existimatio-
nem pondus habere debeat, quam illustrissimorum PRIN-
CIPIS Nostri Amicorum, SCHLIESTEDII, HEIMBVVR-
GII, VELTHEMII denique fauor tantus, vt adeo splendi-
dissimis Eorum nominibus cum deuota fiducia hanc exerci-
tationem inscribere posses. His enim nemo placere potest,
nisi, praeter ingenium bene cultum, animum quoque afferat re-
ligionis*



ligionis amantem et reipublicae aliquando quouis modo iu-
uandae cupidissimum. Sed accedit ad hoc splendidissimum
et in alto loco expositum TVAE dexteritatis encomium, Do-
ctorum in hac Academia Celeberrimorum, imprimisque S. V.
SCHVBERTI, Exper. BEIREISII, Excell. DOMMERI-
CHII congratulatio de discipulo, qui tum audiendi assi-
duitate, tum percipiendi facilitate, tum denique percepta ad
usum transferendi promptitudine, optimos quosuis aequaue-
rit. Quae non minus iusta TIBI erit, carissime GRVNE-
RE, laetandi occasio atque etiam ad strepue pergendum ad-
hortatio. Nunc, cum haec TIBI satis esse poterant ad Bo-
norum omnium applausus expetendos expectandosque, ta-
men, quod bona ingenia solent, TIBI vni non satisfacisse vi-
deris. Quin potius id agis, quod moris erat, antequam lati-
ne loqui in Academiis dediscerent, et ab Academia disce-
dens per Specimen ea reddis, quae matri benignae debes.
Quod specimen, cum adeo liberaliter mecum agere volueris
et ex meis sermonibus aliquatenus exceptum dicere, si di-
cerem mihi perplacere, arrogans viderer, et iudicent alii
et iudicabunt docti atque pii clementer, h. e. omnes, qui non
invidia numerum meorum et diuini mihi adhuc in iis sub-
eundis praestiti auxilii ducti, eam simul in TE transtule-
rint. Sed hoc tamen TIBI confirmare liceat, TE ita meam
sententiam assequutum esse, vt mihi meliorem interpretem
nullum fingere potuerim. Fecisti enim primum, quod do-
ctum atque ingenium hominem deceat et non ita domesti-
cis Nobis doctoribus adhaesisti, in recensendis cum laude
opinionibus, vt non etiam saepius Celeberrimos in exteris
litterarum Vniuersitatibus Viros merito suo laudares. Quam
enim non pueris a matre aegre discedentibus similes sint,
qui ita doctores suos ad coelum tollunt, vt Scbolam e lon-
ginq̄uo olerè possis? Rustici, quemadmodum ille, qui, cum
omnes concione aliqua audita starent, suum quasi *συμβολον*
denegaret, quoniam, vt dicebat, non ad eandem *παραγοιαν*
adstri-

* ❦ *

adstrictus esset. Addidisti et amplius hoc, doctissime GRVNERE, vt modeste aliquando desereres, TVO iudicio vsus, quorum doctrinam, quem admodum scio, mecum veneraxis. Vt nimirum, quem nominis sui non poenitere debet, non peregrinum appeteres, in quo ne quidem terminatio TIBI propria esset, vt multi, quos ipsi sapientes viri, quorum gloriam sic callide attrahere vult, contemnunt. Neque tandem tinuisti Grammaticus forte dici, quorum dicunt esse inspirationem verborum negare. In quo denuo multum mihi places, GRVNERE aestimatissime. Et possit profecto de in eo consolari laudatus, a Magnifico Abbate CARPZOVIO, in singulari libro, Theologus GRAMMATICVS. Gloriaberis porro, si cogites, neminem vnquam praeter Apostolos D. N. I. C. Theologum fuisse, nos omnes Eorum discipulos, et optimos adeo, qui eorum verba tum in docta institutione, tum pro plebe, perspicue accurateque explicare possint, h. e. Grammaticos. Vinces denique vel aduersus hos ipsos, quorum vituperium, vt putant, TIBI paratum esse possit, si iis ostendas, Virum γεγραμματολόγος et ῥητορολόγος Io. David. MICHAELEM, cui propterea verecunde repugnasti, quod TIBI apud Eundem laus erit, hunc itaque verborum inspirationem grauitate tueri solere. Ceterum, vt haec mittam, mihi praeterea res aperta videtur ad intelligendum, quare adeo multi ex vltima antiquitate, vsque ad nostra tempora inhaeserint verborum inspirationi. Sive enim PATRES audiebant, pro plebe multa non tam ἀνεπίστατον quam ῥητορολόγος de singulorum verborum mysteriis disputantes, sive in disputationibus cum aduersariis, super diuinitate et auctoritate librorum sacrorum institutis, vel bono consilio, vel ob animi, vt fit, impetum, etiam ea defendenda sumebant, in quibus illis sine detrimento cedere potuissent et debuissent quoque, vt sine pertinacia repugnantes vidissent. Sed vide ad quem feruorem dicendi amore Tui libelli et TVAE adeo laudabilis doctrinae me abduci passus sim! Age nunc atque



que die proximo Iudicibus peritis TVAM in defendendo
promittitudinem proba, quemadmodum in scribendo accura-
tam doctrinam iis probasse censendus es. Ita fiet, vt
Omnium laudes postridie Guelpberhytum TECUM auferas,
tandem totidem bona omnia TVAE per omnem vitam pro-
sperrimae fortunae. Sed, scio, nulla TIBI etiam laus ma-
ior atque exoptatior est, quam conscientia benefactorum et
diuinae, propter haec, gratiae apud animum residens. Hanc
itaque, si preces Eius, qui TE vehementer amat, aliquid
apud TE valent, TIBI serua; ad hanc, quicquid agis, co-
gitas, scribis, confer; neque ob munus impetrandum, neque
ad tuendum contra aliquid age; haec, ne aliquando TE mo-
ribundum ita angat, vt minus possis aliorum doctor, quam
minimus ex TVIS discipulis, haec TE potenter moueat, vir-
tutes Christiano homini proprias in omni vita exprimere,
neminem aut dicto aut facto aperte laedere, omnes amare,
quos etiam non cogitatione sequi possis, et nemini ita ira-
sci, vt per diem sentias TE iratum esse. Quae omnia TIBI
non dico, quasi non TVA sponte sequuturus esses, sed quo-
niam tantopere TE amo, et a TE amari cupio. Ita vale, et
ad Guelpberhytum delatus, Illustrissimo HEIMBURGIO; et
Perillustribus BURCHARDO et WEICHMANNO deuoti
anmi mei perpetuitatem confirma. In Acad. Iulia Caro-
lina a. d. XXVI. April. MDCCLXIV.



CHRISTO-

CHRISTOPHORO AVGVSTO HENRICO GRVNERO

AMICO OPTIMO

S. P. D.

CHRISTOPHORO AVGVSTO HENRICO GRVNERO

AMICO OPTIMO

S. P. D.

Amicitiae nomen, quo nescio an vllum sanctius ab omni inde tempore habitum sit mortalibus, tanta vi hominum animos occupat, vt illius dulcedine capti tum demum se beatos existiment, cum sub illius auspiciis militant, cumque amicitiae legibus optemperantes, quid inde felicitatis percipiatur, sentiunt. Si qui ab hac sententia discedant, illos profanos, necdum amicitiae sacris initiatos nuncupare ausim. Habere amicum, in cuius sinu requiescas, qui te foueat, qui gaudii aequae ac sollicitudinis partem trahat, quocum, vt tecum ipso, habitare et viuere possis, id demum est viuere, nec animalium ritu spirare. Hac felicitate aliquantisper Tecum frui sum, **CARISSIME GRVNERE**, cum primum humanioribus Musis iungereimur. Earundem litterarum amore, & ingeniorum quadam conspiratione conciliata amicitia magis magisque coalescebat, cum fati acerbitate destraheremur. Rediit tandem in hac alma Musarum sede priora amoris mutui vincula archius constrinximus, amicitiamque coluimus, nulla contentionum et perfidiae labe conspersam. Quod declarandi occasio, cum mihi, quamuis (quod doleo) Te iam discedente, opportuna offeratur, oblatam avidissime arripio, publiceque testor, quamuis fata in diuersissimas nos oras coniecerint, vltiorem coniunctionem denegantia, tantam vim habituram in animo meo *Tuae* amicitiae recordationem, vt nullum futurum sit tempus, quo illius gratia mente mea excidat. Quod ad ipsam hanc solemnitatem attinet, non possum non eam *Tibi* gratulari, consiliumque de proponendo eruditionis specimine approbare. Hoc certe est, egregie academiae valedicere, cui iam dudum animi *Tui* ingenique dotes inclaruerunt; quarum si rationem habere vellem, iam *Tibi*, certamen nondum ingresso, applaudere possem. At vero ne nimis praecipitanter egisse videor, id in praesenti omitto, cum amicitiae commendatione finem scribendi facturus. Semper me in aliquo numero habeas, nec Te vniquam, si vsus et consuetudo cessauerint, aeternae amicitiae pigeat, vehementer opto. Namque ea demum laus est, in amicorum dignorum pectore vixisse et viguisse. Vale. Heluastadii d. XXVIII. Apr. MDCCLXIV.

E

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO, NEC NON DOCTISSIMO AC DIGNISSIMO
THEOLOGIAE CANDIDATO
CHRISTOPHORO AVGVSTO HENRICO GRVNERO
SEMINARI THEOLOGICI HELMSTAD. SVBSENIORI
AMICO ET CONCIVI SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

RVDOLPHVS ANTONIVS WILLE

SEMIN. THEOL. MEMBR. OPFON.

Nihil vero certe, AMICE SVAVISSIME, iucundius mihi
euenire potuit, quam ea occasio, qua meum erga *Te* amorem
haud fucatum, quin immo animi mei affectum publice decla-
rare possum. Tum iam cum in scholis artium liberalium flamina
prima vtrique nostrum instillarentur, primum suum coepit
nostra amicitia. Communis nos genuit patria, nec vllus fere dies
praeteribat, quo alter alteri quam familiarissime vsus esset. Quan-
topere autem aucta et confirmata est nostra amicitia per vsum
quotidianum, qui inter nos per triennium in hac academia fuit.
Ingressus enim hanc aliam Musarum sedem, semper arctius con-
iunctum est nostrae amicitiae vinculum, ita, vt quotidie illa amo-
ris studio continuaretur et confirmaretur. In *Te* enim, AMICE
AESTVMATISSIME, semper inueni, amicum certum, pro-
bum, elegantem, doctum, sincerum. Laetus itaque arripio oc-
casionem exoptatissimam, qua et meum in *Te* animum et amici-
tiam publice declarare possum. Gratulor itaque *Tibi* quam ami-
cissime nouum et loculentum doctrinae monumentum. Gratulor
insignes in scientiis progressus; gratulor industriae et dexteritatis
Tuae documentum. I pede fausto, quo bonarum artium com-
pensatores diligentiam *Tuam* ornabunt. Adsit *Tibi* summus
omnium rerum gubernator, etiam imposterum gratia et prouiden-
tia sua singulari. Quod reliquum est, nihil magis opto, quam
vt semper amore *Tuo* me dignum habeas. Vale, mihi que, quem
amicitia *Tua* ornare non dubitasti, faue, Dab. Helmstadii d.
XXVIII. Apr. MDCCLXIV.

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO
DISPUTATIONIS HVIVS AVCTORI DOCTISSIMO

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

F. C. DOMMERICH BVCKEBVRGENSIS

S. TH. CAND. ET SEM. THEOL. MEMBR. OPPON.

Honorifica *Tua*, AMICE PRAESTANTISSIME, vt dissentientis partes suscipere, inuitatio, eo mihi fuit gratior, quo meis magis votis respondebat, praesertim cum copiam mihi faciebat. Tecum in arena disputatoria colloquendi, laetitiamque publice declarandi, quam ex amicitia *Tua* non fucata ac docta percipio summam. Consuetudini enim, quam *Tecum* statim a primis fere academicae vitae diebus habui, et familiaritati, qua me amplexus es, id debeo. Talem *Te* semper expertus sum amicum, qualem mihi optavi, fidum, constantem, doctum et ad quaevis officiorum genera paratum. Quae virtutes, quo rariores sunt, eo me feliciorum semper iudicavi. Iure igitur laetor, cum singulis fere diebus nova sollertiae atque acuminis *Tui* documenta sentio, quibus, qui Musis bene cupiunt, omnem benevolentiam et fauorem *Tibi* paris. Multo vero magis adhuc laetor, cum *Te*, AMICE INTEGERRIME, hac die in cathedra theologica conspicio, quae *Tibi* facultatem praestat, publice declarandi, quantos huc vsque, tum in doctrinis, quae ad theologiam, tum quae ad philosophiam spectant, progressus adhuc feceris. Itaque vt hic laetissimus dies *Tibi* et laudem et honorem afferat, *Te*que Musarum patronis ad altiores dignitatum gradus commendat, ex animo opto. Faxit Deus T. O. M. vt omnia *Tibi* e voto semper succedant. Vale, resque *Tuas* age feliciter; *Tua* me amicitia impofterum quoque dignare, quem ad extremum vsque vitae habitum *Tui* habebis studiosissimum. Scrib. in Acad. Julia Carolina d. XXVIII. April. MDCCLXIV.

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMOQUE
GRVNERO,
SACRARVM LITTERARVM CANDIDATO DIGNISSIMO,
S. P. D.
CHRISTIANVS HENRICVS WAETERLING
GVELPHERYTANVS L. V. C.

Nullus certe dubito, quin *Tu*, CARISSIME GRVNERE, hoc ipso die, quo eruditionis *Tuae* Specimen in publicum profers, laetitiam meam, meumque gratulandi animum fronte haud austera excipere velis. Nonne enim hunc diem gratulatione dignum haberem, quo *Tu*, partem doctrinae illius, quae nobis aeternam parit salutem, haud leuissimam, tam alacriter, et vt confido cum laude defendis. Multis enim, et forsan plurimis nostrae ecclesiae doctoribus sententia illa placet, cuius contrariam *Tu* hodie asserere audes. Quam facile hoc lubrico palaestro vires *Tibi* deficere possent, ni propria, qua polles, eruditio *Tibi* succurrere, *Te*que suffulcire valeret. Magnum sane opus moliris. Maius inde erit praemium, maior inde gloria et honor, qui rebus forster vt soles peractis, in *Te* redundant. Et quid putas nonne gloriae, quam hodie nancisceris, ego mihi aliquam modo minimam partem adsciscere debeo. Certe debeo. Nos enim in eodem solo progeniti, ab iisdem semper doctoribus instituti, eodemque fere tempore almam hanc Musarum sedem ingressi, licet eodem doctrinae genere non delectamur, attamen dum viximus alter alterum pro fratre amavit. Mutuus hic affectus qui nos intercedit, et quotidiana, eaque grata consuetudo, qua hucusque vsumur, effecit, vt hoc die, quo laudem haud minimam consequeris, animi mei, quem noscis, sincerissimi gratulationem reticescere non potuerim, quin eam publice declarandi occasionem laetus arripuerim. Deus T. O. M. qui *Tibi* tot, tantasque animi dotes largitus est, iisque addidit tanta, quae hodie ostendis incrementa, faxit pro immensa sua dignitate, vt *Tu* in ecclesiae suae emolumentum, parentis *Tuae* solatium, gaudium cognatorum, amicorumque laetitiam diu feliciterque vita fruaris, ne olim *Te* tempus et elegantioribus et postea sanctioribus impendisse disciplinis, poeniteat. Vale, DVLCISSIME GRVNERE, et accipe praemia, quae patria strenue discentibus numquam recusat. Vale, meque in patriam reuersum amore *Tuo*, quo nil mihi iucundius, prosequi perege. Dab. in acad. Iul. Car. d. XXVIII. Apr. MDCCLXIV.



00 A 6427

ULB Halle
002 927 292

3



0018

R



8
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

49
40

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
SPIRATIONIS SCRIPTVRARVM
DIVINARVM IVDICIO
FORMANDO


QVAM
PRAESIDE VENERANDO
WILHELMO ABRAHAMO
TELLERO

THEOLOGIAE DOCTORE, VENERANDI ORDINIS
THEOLOGORVM H. T. DECANO ETC.

IN IVLEO MAIORI
D. XXIIIX. APRIL. MDCCLXIV.

DEFENDET AVCTOR
STOPH. AVGVST. HENR. GRVNER

GVELPHERBYTANVS
CAND. ET SEMINARIJ THEOLOGICI HACTENVS
SVBSENIOR,



HELMSTADI
YPIS IOANNIS DRIMBORNIL